bitorū lōgitudine. et latitudine viginti q; q; cu-  
bitorū et in gradib⁹ septez ascendebat ad eā. et  
vestibulum an̄ fores eius. et celate palme erāt  
vna hinc et altera inde in fronte eius. et porta  
atrij interioris in via australi. ⁊ mēsus est a por-  
ta vsq; ad portā in via australi centuz cubitos.

# Ezechiel

Et introduxit me in atrium interius ad portam australem  
 et mensus est portam iuxta mensuras superiores thalamum  
 eius et frontem eius et vestibulum eius hisdem mensuris  
 et fenestras eius et vestibulum in circuitu quinquaginta  
 cubitos longitudinis et latitudinis viginti quatuor  
 cubitos: et vestibulum per gyrum longitudine viginti quatuor  
 cubitorum: et latitudine quatuor cubitorum. Et vesti-  
 bulum eius ad atrium exterius: et palmas eius in fronte  
 et octo gradus erant quibus ascendebat per eam. Et intro-  
 duxit me in atrium interius per viam orientalem. et mensus  
 est portam secundum mensuras superiores. thalamum eius et  
 frontem eius et vestibulum eius sicut supra: et fenestras  
 eius et vestibula in circuitu. longitudine quinquagin-  
 ta cubitorum et latitudine viginti quatuor cubitorum et  
 vestibulum eius. id est atrium exterius et palme celate  
 in fronte eius hinc et inde: et in octo gradibus ascen-  
 sus eius. Et introduxit me ad portam que respicie-  
 bat ad aquilonem. Et mensus est tres mensuras superiores  
 thalamum eius et frontem eius et vestibulum eius et fene-  
 stras eius per circuitum longitudine quinquaginta cubi-  
 torum: et latitudine viginti quatuor cubitorum: et vesti-  
 bulum eius respiciebat ad atrium exterius: et celatura  
 palmarum in fronte eius hinc et inde. et in octo gra-  
 dibus ascensus eius: et per singula gazophylatia ostium  
 in frontibus portarum ubi lauabunt holocaustum.  
 Et in vestibulo porte due mese hinc et due mese  
 inde. ut imolent super eas holocaustum et per peccatum et per  
 delictum. Et ad latus exterius quod ascendit ad ostium  
 porte que pergit ad aquilonem due mese. et ad latus  
 alterum ante vestibulum porte due mese. Quattuor  
 mese hinc et quattuor mese inde. per latera porte octo  
 mese erant super quas imolabant. Quattuor autem mese  
 ad holocaustum de lapidibus quadris extructe. lon-  
 gitudine cubiti unius et dimidii. et latitudine cubi-  
 ti unius et dimidii: et altitudine cubiti unius: super  
 quas ponent vasa in quibus imolant holocaustum et vi-  
 ctima. Et labia earum palmarum unius reflecta intrin-  
 secus per circuitum. Super mensas autem carnes obla-  
 tionis. et extra portam interiores gazophylatia cam-  
 torum in atrio interiore quod erat in latere porte re-  
 spicientis ad aquilonem: et facies eorum sunt via australe  
 una ex latere porte orientalis que respiciebat ad  
 viam aquilonis. Et dixit ad me. Hoc est gazophyla-  
 tium quod respicit viam meridianam. sacerdotum qui er-  
 cubant in custodiis templi. Porro gazophylatium  
 quod respicit ad viam aquilonis: sacerdotum erit qui ex-  
 cubant ad misterium altaris. Isti sunt filii sadoch qui  
 accedunt de filiis leui ad dominum ut ministrant ei. Et me-  
 sus est atrium longitudine centum cubitorum: et latitudi-  
 ne centum cubitorum per quadratum et altare ante faciem tem-  
 pli. Et introduxit me in vestibulum templi et mensus  
 est vestibulum quatuor cubitis hinc: et quatuor cubitis  
 inde: et latitudine porte trium cubitorum hinc: et trium  
 cubitorum inde. longitudines autem vestibuli viginti  
 cubitorum et latitudinem undecim cubitorum. Et  
 octo gradibus ascendebat ad eam. et columnae erant in

frontibus una hinc et altera inde.

**C. S.** Mensurat templum et sanctuarium. de co-  
 clea que agit: de ostijs templi et sanctuarium: et ostia-  
 rium sanctuarium. **Ca. XLII**

**E**t introduxit me in templum: et mensus est  
 frontes sex cubitos latitudinis hinc: et sex  
 cubitos latitudinis inde: latitudinem taber-  
 naculi. Et latitudo porte decem cubitorum erat: et la-  
 tera porte quatuor cubitis hinc: et quatuor inde. et me-  
 sus est longitudinem eius quadraginta cubitorum et  
 latitudinem viginti cubitorum. Et introgressus in-  
 trinsecus mensus est in fronte porte duos cubitos: et  
 portam sex cubitorum et latitudinem porte septem cubi-  
 torum. Et mensus est longitudinem eius viginti cubito-  
 rum. et latitudinem eius viginti cubitorum ante faciem  
 templi. Et dixit ad me. Hoc est sanctuarium. Et  
 mensus est parietem domus sex cubitorum: et latitudi-  
 nem lateris quattuor cubitorum undique per circuitum do-  
 mus. Latera autem latus ad latus bis triginta trium  
 Et erant eminentia que ingrederentur per parietem domus  
 in lateribus per circuitum: ut stinerent et non attige-  
 rent parietem templi. Et platea erat in rotundum  
 ascendens sursum per cocleam et in cenaculum templi de-  
 ferebat per gyrum. Idcirco latus erat templum in supio-  
 ribus: et sic de inferioribus ascendebat ad superiora  
 et in medium. Et vidi in domo altitudinem per circui-  
 tum fundata latera ad mensuram calami sex cubi-  
 torum spacio: et latitudinem per parietem lateris fo-  
 rinsecus quatuor cubitorum. Et erat interior domus in  
 lateribus domus. Et inter gazophylatia latitudinem  
 viginti cubitorum in circuitu domus undique. Et ostium  
 lateris ad orationem: ostium unum ad viam aquilonis:  
 et ostium unum ad viam australem: et latitudinem loci ad  
 orationem quatuor cubitorum in circuitu. Et edificium  
 quod erat separatim versus mare ad viam respicientem ad  
 mare. latitudinis septuaginta cubitorum paries  
 autem edificii quatuor cubitorum latitudinis per circuitum:  
 et longitudo eius nonaginta cubitorum. Et mensus est  
 domus longitudinem centum cubitorum et quod separatim  
 erat edificium et pietes eius longitudinis centum cubi-  
 torum. Latitudo autem ante faciem domus et eius quod erat  
 separatim sunt orientem centum cubitorum. Et mensus est  
 longitudinem edificii sunt facies eius quod erat separatim  
 ad dorsum hecbeas ex utraque parte centum cubito-  
 rum et templum interius: et vestibula atrii limina et  
 fenestras obliquas: hecbeas in circuitum per  
 tres partes contra uniuscuiusque lumen stratumque  
 ligno per gyrum in circuitu. Terra autem usque  
 ad fenestras: et fenestre clausae super ostia: et usque  
 ad domum interiore et forinsecus et omnem parie-  
 tem in circuitu intrinsecus: et forinsecus ad men-  
 suras. et fabricata cherubin et palme: Et palma  
 inter cherubim et cherubim. Duasque facies habebat  
 cherubim. faciem hominis iuxta palmam ex hac parte: et fa-  
 ciem leonis iuxta palmam ex alia parte expressam.  
 Per omnem domum in circuitum de terra usque

# Ezechiel

ad superiorē partem cherubin et palme celate erāt in pariete tēpli. Limē q̄drangulū: et facies sc̄tūarij aspect⁹ s̄ aspectū. Altaris lignei triū cubitoꝝ altitudo: et longitudo ei⁹ duoz cubitoꝝ: et anguli ei⁹ et lōgītudo ei⁹ et parietes ei⁹ lignei. Et loc⁹ est ad me. Dec ē mēsa corā dño. Et duo ostiā erāt in templo et in sanctuario: et in duobus ostijs ex vtraq; parte bina erāt ostiola q̄ in se inuicē plīcabant. Bina em̄ ostia erāt ex vtraq; pte ostioꝝ rum, et celata erāt in ipsis ostijs tēpli cherubin et sculptura palmarū sicut in parietib⁹ q̄ exp̄ssa erāt. Quāobrē et grossiora erāt ligna in vestibuli fronte forinsecus: sup̄ q̄ fenestre obliq̄ et similitudo palmarū hinc atq; inde in humerulis vestibuli s̄m latera dom⁹ latitudinēq; parietum.

**L. S.** De gazophylatijs austral⁹ et aq̄lonarijs edificij et descriptiōe eoz edificatoꝝ. de loc⁹ vbi edebant sacerdotes q̄ nō exeat ad pplm: nisi depositis vestimētis misterij sui: mensurat⁹ murus diuidēs sanctuariuz a vulgi loco. XLII

**E**duxit me in atriū exteri⁹ p viā ducentem ad aq̄lonē. Et eduxit me in gazophylatiū qd̄ erat s̄ separatū edificij: et p̄tra edez vergentē ad aq̄lonē in facie lōgītudinis centū cubitos ostij aq̄lonis: et latitudinis quinquaginta cubitos cōtra viginti cubitos atrij interioris. et p̄tra pavimētum stratum lapide atrij exterioris vbi erat porticus iuncta porticui triplici. Et añ gazophylatia deambulatio dccē cubitorum latitudinis: ad interiora respiciens vicubiti vni⁹. Et ostia earum ad aq̄lonē vbi erant gazophylatia in superiorib⁹ hūiliora: q̄ supportabant portic⁹ q̄ ex illis eminebant de inferioribus et de medijs edificij. Tristega em̄ erāt et nō habebant colūnas sicut erāt colūne atrioꝝ. P̄p̄terea eminebāt de inferiorib⁹ et de medijs a terra cubitis quinquaginta. Et peribol⁹ exterior s̄m gazophylatia q̄ erant in via atrij exterioris ante gazophylatia. Longitudo ei⁹ quinquaginta cubitorū: q̄ longitudo erat gazophylatioꝝ atrij exterioris quinquaginta cubitorū. et longitudo ante faciē tēpli centū cubitoꝝ. Et erat subter gazophylatia hec. introitus ab oriente ingredientium in eade atrio exteriori in latitudine periboli atrij qd̄ erat s̄ viā orientālē in faciē edificij sepati. Et erāt ante edificium gazophylatia. et via añ faciē eoz iuxta similitudinē gazophylatioꝝ q̄ erant i via aq̄lonis. Scdm̄ longitudinē eoz sic et latitudo eoz et oīs introit⁹ eoz et similitudines et ostia eoz s̄m ostia gazophylatioꝝ q̄ erant in via respiciēte ad notum. Ostiū in capite vie: q̄ via erat ante vestibulū sepatū p viā orientālē ingredientibus. Et dixit ad me. Gazophylatia aq̄lonis et gazophylatia austri q̄ sunt ante edificium sepatum. hec sunt gazophylatia sc̄ta in quibus vesunt sacerdotes q̄ appropinquāt ad dñm in

sc̄tasctōꝝ. Ibi ponent sanctas sanctoꝝ. et oblationes p̄ pctō et p̄ delicto. Loc⁹ em̄ sc̄tus ē. Cū autē ingressi fuerit sacerdotes: nō egrediētur de sanctis in atriū exteri⁹. Et ibi reponēt vestimenta sua in q̄bus ministrāt: q̄ sc̄ta sunt. vestimētq; vestimētis alijs: et sic p̄cedēt ad pplz. Cūq; cōpleset mēsuras dom⁹ interioris eduxit me p viā porte q̄ respiciebat ad viā orientālē: et mēsus ē eam vidic⁹ p̄ circūitū. Mēsus est autē s̄ vētū orientālē calamo mēsure quingētos calamos: in calamo mēsure p̄ circūitū. Et mēsus est s̄ vētū aq̄lonis quingētos calamos. in calamo mēsure p̄ giruz. Et ad vētū australē mēsus est quingētos calamos. in calamo mēsure p̄ circūitū. et ad vētū occidentalē mēsus est quingētos calamos: in calamo mēsure. P̄ter q̄tuoz ventos mēsus est murū ei⁹ vndic⁹ p̄ circūitū. longitudinē quingētorum cubitoꝝ: et latitudinē quingētoꝝ cubitoꝝ diuidentem inter sanctuariuz et vulgi locum.

**L. S.** Vidit p̄p̄ba claritatē dei. arguit iudeos de idolis suis. p̄cipit̄ oñdere figurā et descriptiōnē dom⁹: de mēsurā altarj holocaustoꝝ. de ritu eius et sacrificijs eiusdem. XLIII

**E**duxit me ad portam q̄ respiciebat ad viā orientālē. Et ecce gl̄ia dei isrl̄ ingrediebat p viā orientālē. et vox erat ei q̄si vox aq̄z ml̄tarū. et terra splendebat a maiestate ei⁹. Et vidi visionē s̄m speciē quā viderā qñ venit vt disperderet ciuitatē. et spēs s̄m aspectū quā viderā iuxta fluiū chobar. Et cecidi sup̄ faciem meā. Et maiestas dñi ingressa est templuz p viā porte q̄ respiciebat ad orientē. Et eleuauit me spūs: et introduxit me in atriuꝝ interioris. Et ecce replea erat gl̄ia dñi: dom⁹. Et audiui loq̄ntes ad me de domo. Et vir q̄ stabit iuxta me. dixit ad me. Fili hoīs. loc⁹ solij mei: et locus vestigiorum pedum meoz: vbi habito in medio filioꝝ israel in eternū. Et nō polluet ultra dom⁹ israel nomē sc̄m̄ meū: ipi et reges eoz in fornicatōib⁹ suis et in ruinis regū suorū. et in excelsis q̄ fabricati sunt limē suuz iuxta limē meū. et postes suos iuxta postes meos. et mur⁹ erat inter me et eos. Et polluerunt nomē sc̄m̄ meuz in abominatiōib⁹ q̄s fecerunt p̄pter qd̄ p̄sumpsi eos in ira mea. Nunc ḡ repellāt p̄cul fornicatōez suā et ruinas regum suorū a me. et habitabo in medio eoz sp. Tu autem fili hoīs ostende domui isrl̄ templū et p̄fundatur ab iniquitatib⁹ suis. et metiatur fabricā: et erubescāt ex oib⁹ q̄ fecerunt. Figuras dom⁹ t̄ fabricē eius erit⁹ et introitus et oīm descriptōez ei⁹ et vn̄tersa p̄cepta eius cunctūq; ordinē ei⁹ et oēs leges ei⁹ oñde eis. et scribe in oculis eoz vt custodiāt oēs descriptōes ei⁹ et p̄cepta illi⁹ et faciāt ea. Iste est lex dom⁹ in summitate mōtis. Dēs fines ei⁹ in circūitu sc̄m̄ sanctuarum est. Hec est ḡ lex dom⁹. Iste autē mēsure

# Ezechiel

altaris in cubito verissimo: q̄ hēbat cubitū ⁊ pal-  
mū. In sinu eius erat cubitus: ⁊ cubitus in lati-  
tudine. ⁊ definitio ei⁹ vsq̄ ad labiū ei⁹: ⁊ in cir-  
cūitu palui vnus. Nec q̄s erat fossa altaris. Et  
de sinu terre vsq̄ ad crepidinē nouissimā duo cu-  
biti. ⁊ latitudo eubiti vni⁹. et a crepidine minore  
vsq̄ ad crepidinē maiore q̄ttuor cubiti: ⁊ latitu-  
do cubiti vni⁹. Ipse aut̄ ariel q̄ttuor cubitorū  
⁊ ab ariel vsq̄ ad sursus cornua q̄ttuor. Et ariel  
duodecim cubitorū in longitudine p̄ duodecim cu-  
bitos latitudinis: q̄drangulatū eq̄s laterib⁹. Et  
crepido q̄ttuordecim cubitorū lōgitudinis p̄ q̄t-  
tuordecim cubitos latitudis in q̄ttuor angulis  
eius ⁊ corona in circūitu ei⁹ dimidiū cubiti ⁊ si-  
nus ei⁹ vnus cubiti p̄ circūitus. Grad⁹ aut̄ eius  
uersi ad orientē. Et dixit ad me. Fili hoīs. h̄ dicit  
dñs de⁹. Hi sunt ritus altaris in q̄cūq̄ die fuerit  
fabricatū vt offerat sup illud holocaustū ⁊ effū-  
datur sanguis. Et dabis sacerdotib⁹ et leuitis q̄  
sūt de semie sadoch: q̄ accedūt ad me: ait dñs de⁹  
vt offerāt mibi vitulū de armēto p̄ pctō. Et assu-  
mēs de sanguine eius pones sup q̄ttuor cornua  
ei⁹: ⁊ sup q̄ttuor angulos crepidinis ⁊ sup coro-  
nam in circūitu: ⁊ mūdabis illud ⁊ expiabis. Et  
tolles vitulū q̄ oblat⁹ fuerit p̄ pctō ⁊ cōbures eū  
in sepato loco dom⁹ extra scūarium. Et in die  
secūda offeres hircū capraz imaculatū p̄ pctō ⁊  
expiabūt altare sicut expiauerūt in vitulo. Cūq̄  
cōpleueris expiās illud. offeres vitulū de armē-  
to imaculatū: et arietē de grege imaculatū: et of-  
feres eos in cōspectu dñi. Et mittēt sacerdotes  
sup eos sal ⁊ offerent eos in holocaustū dño. Se-  
ptem diebus facies hircū pro pctō q̄tidie: ⁊ vi-  
tulū de armēto ⁊ arietē de pecorib⁹ imaculatos  
offerent. Septē dieb⁹ expiabūt altare: ⁊ munda-  
būt illud et implebūt manū ei⁹. Expletis aut̄ se-  
ptem diebus: in die octaua ⁊ vltra facient sacer-  
dotes sup altare holocausta vestra: ⁊ q̄ pro pa-  
ce offerunt: ⁊ placatus ero vobis: ait dñs deus.

**E. S.** De porta clausa: et ne incircūcis intrēt  
scūarius. de scimonia et hereditate leuitarum.

**E**t cōuertit me ad viā porte XLIII  
scūarij exterioris q̄ respiciebat ad orien-  
tem. et erat clausa. Et dixit dñs ad me:  
Porta h̄ clausa erit ⁊ nō apiet: ⁊ vir nō trāseat  
p̄ eā. qm̄ dñs de⁹ isrl̄ ingressus ē p̄ eā. eritq̄ clau-  
sa p̄ncipi. Princeps ip̄e sedebit i ea vt comedat  
panē corā dño. Per viā porte vestibuli ingredi-  
etur. ⁊ p̄ viā ei⁹ egrediet. Et adduxit me p̄ viam  
porte aq̄lonis in p̄spectu dom⁹ ⁊ vidi. ⁊ ecce im-  
pleuit gl̄ia dñi domū dñi. Et cecidi in faciē meā  
⁊ dixit ad me dñs. Fili hoīs pone cor tuū ⁊ vide  
oculis tuis: ⁊ aurib⁹ tuis audi oīa q̄ ego loq̄r ad  
te de vniuersis cerimonijs dom⁹ dñi: ⁊ de cūctis  
legib⁹ eius. Et pones cor tuū in vjs tēpli p̄ oēs  
cūctus scūarij: ⁊ dices ad exasperātes me domū

isrl̄. Decidit dñs de⁹. Sufficiāt vobis oīa scele-  
ra v̄ra dom⁹ isrl̄. eo q̄ iducit̄ filios alienos i cir-  
cūcis corde ⁊ incircūcis carne vt sint in san-  
ctuario meo: ⁊ polluat̄ domū meā: ⁊ offertis pa-  
nes meos adipē et sanguinē: ⁊ dissoluit̄ pactū  
meū in oīb⁹ scelerib⁹ v̄ris: ⁊ nō fuastis p̄cepta  
scūarij mei. et posuistis custodes obfuationum  
meaz in scūario meo vobismetipsis. Nec dicit  
dñs de⁹. Dis alienigena incircūcisus corde ⁊ i-  
circūcisus carne nō ingrediet̄ scūariū meū oīs  
fili⁹ alien⁹ q̄ est in medio filioz isrl̄. Sed ⁊ leuite  
q̄ longe recesserūt a me in errore filioz isrl̄: ⁊ er-  
rauerūt a me post ydola sua. ⁊ portauerūt iniq̄ta-  
tem suā. erūt in scūario meo editui et ianitores  
p̄ctarū dom⁹ et ministri dom⁹. Ipsi mactabunt  
holocausta et victimas ppli: et ip̄i stabūt in p̄spe-  
ctu eoz vt ministrāt eis. Pro eo q̄ ministrauerūt  
illis in p̄spectu ydoloz suoz: ⁊ facti sunt domui  
isrl̄ in offendiculū iniq̄tatis idcirco leuauī manū  
meā sup eos: ait dñs de⁹. ⁊ portauerunt iniq̄ta-  
tem suā. Et nō appropinq̄būt ad me vt sacerdo-  
tio fungant̄ mibi: neq̄ accedent ad oē scūarium  
meū iuxta sc̄asctōz: sed portabūt p̄fusione suam  
et scelera sua q̄ fecerunt. Et dabo eos ianitores  
dom⁹ et in oī misterio ei⁹: et vniuersis q̄ fient in  
ea. Sacerdotes aut̄ ⁊ leuite filij sadoch q̄ custo-  
dierūt cerimonias sanctuarij mei cū errarēt filij  
israel a me: ip̄e accedēt ad me vt ministrēt mibi ⁊  
stabunt in p̄spectu meo vt offerāt mibi adipē et  
sanguinē ait dñs de⁹. Ipsi ingrediet̄ sanctuariū  
meū: et ip̄i accedēt ad mensam meā vt ministrent  
mibi et custodiāt cerimonias meas. Cūq̄ ingre-  
dient̄ portas atrij interioris. vestib⁹ lineis induē-  
tur. nec ascendet sup eos q̄cūq̄ lanēū qm̄ ministrāt  
in portis atrij interioris ⁊ intrinsec⁹. Vitte linee  
erūt in capitib⁹ eoz: et feminalia linea erūt in lū-  
bis eoz: et nō accingent̄ in sudore. Cūq̄ egredie-  
tur atriū exteri⁹ ad pplz eruēt sevestimētis suis  
in quib⁹ ministrauerant. ⁊ reponent ea in gazo  
phylatio scūarij: ⁊ vestient se vestimētis alijs.  
et nō sc̄ificabūt pplm̄ in vestib⁹ suis. Caput at̄  
suum nō radent neq̄ comā nutriēt: s̄z tondētes  
attondēt capita sua. Et vinū nō bibet oīs sacer-  
dos qm̄ ingressurus est atriū interius. Et viduas  
⁊ repudiatā nō accipient v̄ros: sed v̄gines de  
semine dom⁹ isrl̄. Sed ⁊ viduā que fuerit vidua  
a sacerdote accipient et pplm̄ meum docebūt qd̄  
sit inter sc̄m̄ et pollutum: et inter mundū et imū-  
dū oñdent eis. Et cū fuerit p̄trouersia stabunt in  
iudicijs meis ⁊ iudicabunt. Leges meas ⁊ p̄cep-  
ta mea in oīb⁹ solēnitatibus meis custodient: et  
sabbata mea sc̄ificabūt. Et ad mortuū hoīez n̄  
ingredient̄ ne polluant̄ nisi ad p̄rem ⁊ m̄rem ⁊ fi-  
liū ⁊ filiā et frat̄ ⁊ sororē que alteruz viruz nō  
habuerit. in quibus p̄taminabuntur. Et postq̄  
fuerit emundatus: septem dies numerabuntur

Leui

# Ezechiel

ei: et in die introitus sui in sanctuariū ad atrium interius ut ministrant mihi in sanctuario. offeret pro peccato suo: ait dñs deus. Nō erit autē eis hereditas ego hereditas eorum. Et possessionē nō dabit eis in isrl. ego ei possessio eorum. Victimāz p peccatōz et p delicto ipi comedēt: et oē votum in isrl ipoz erit. Et primitiua oīuz p̄mogenitoz et oīa libamēta ex oīb⁹ q̄ offerūt: sacerdotū erūt. Et primitiua ciboz vestroz dabitur sacerdoti: ut reponat bñdictōez domui sue. Omne morticinū et captū a bestiis de auib⁹ et de pecorib⁹ nō comedēt sacerdotes.

**C.S.** De loco sanctificato i q̄ sūt sc̄tasctōz: et habitatio sc̄tōz. de iusticia pōderis et mensura. de quātitate primitiaz. de duab⁹ p̄mis solēnitatibus p̄mi mēsis q̄ nō sunt in lege. de oblatiōib⁹ pasce penthecostes et cenophagie. **XLV**

**A** **C** Unqz cepitis terrā diuidere sortito separate primitias dño sanctificatus de terra longitudine viginti q̄nqz milia. et latitudine decē milia. Sanctificatū erit in oī termino ei⁹ p circuitum. Et erit ex oī pte sanctificatū q̄ngentos p q̄ngentos. q̄drifariā p circuituz et q̄nq̄ginta cubitis in suburbana eius p gyrū. Et a mensura ista mensurabis lōgitudinē viginti q̄nqz miliū: et latitudinē decē miliū. Et i ipō erit templū sanctūqz sanctorū: sanctificatū de terra erit sacerdotib⁹ ministris sc̄tarij q̄ accedūt ad ministerium dñi. Et erit eis locus in domos et in sc̄tariuz sc̄tatis. Viginti q̄nqz autē milia longitudinis et decē milia latitudinis erūt leuitis q̄ ministrāt domui. Ipsi possidebūt viginti gazophylata. Et possessionez ciuitatis dabitur q̄nqz milia latitudinis: et lōgitudis viginti q̄nqz milia s̄m separationez sc̄tarij oī domui isrl. Principi qz hinc et inde in sepatiōem sc̄tarij et i possessionē ciuitatē et i sepatiōem sc̄tarij: et i sepatiōem possessionis vrb̄ a latere maris vsqz ad mare: et a latere orientis vsqz ad orientem. Lōgitudis at iuxta vnāquāqz pte a termino occidentali vsqz ad terminus orientale. de tra erit ei possessio in isrl. Et nō depopulabunt vltra p̄ncipes pplm meū: s̄z terrā dabūt domui isrl s̄m tribus eoz. Dec dicit dñs deus sufficiat vob p̄ncipes isrl. iniquitatem et rapias intermittite: et iudicium et iusticiam facite. Sepate p̄finia vestra a p̄plo meo: ait dñs deus. Statera iusta et ephi iustū et batus iust⁹ erit vob. Ephi et batus eqlia et vni⁹ mēsure erūt vt capiat decimā pte chori batus: et decimā pte chori ephi. Iuxta mēsurā chori erit eqlia libraatio eoz. Siclus at viginti obolos h̄z. Porro viginti sicli et vinginti q̄nqz sicli: et q̄ndecim sicli mnaz faciūt. Et he sunt primitie q̄s tolletis. sextā partē ephi de choro frumenti: et sextam partem ephi de choro hordei. Mensura quoqz olei. Batus olei. decia pars chori ē: et decē bati choz faciūt: qz decē bati implēt choz. Et arietē vnū de grege ducentozū de his q̄ nutruuit isrl in sacrificiū et i

holocaustū et in pacifica: ad expiandū p eis: ait dñs deus. Omnis pplus terre tenebit primitias his principi in isrl. Et sup p̄ncipē erunt holocausta et sacrificium et libamina in solēnitatib⁹ et in kalendis et in sabbatis: in vniuersis solēnitatibus domus israel. Ipse faciet p peccatō sacrificiū et holocaustum et pacifica: ad expiandum pro domo israel. Dec dicit dñs deus. In p̄mo mense vna mēsis fumes vitulū de armento immaculatum: et expiabis sanctuariū. Et tollet sacerdos de sāguine quod erit p peccato: et ponet in postibus domus: et in quattuor angulis crepidinis altaris: et in postibus porte atrij interioris. Et sic facies in septima mensis pro vnoquoqz q̄ ignorauit et errore deceptus est: et expiabis pro domo. In p̄mo mense q̄rtadecima die mensis erit vobis pasche solennitas. Septem diebus azyma comedentur. Et faciet princeps in die illa p se et pro vniuerso populo terre vitulum pro peccato. Et in septem dierum solennitate faciet holocaustuz dño: septem vitulos et septem arietes immaculatos quotidie septem diebus: et pro peccato hircum caprarum: et sacrificium ephi per vitulum: et ephi per arietem faciet: et olei h̄in per singula ephi septimo mense quintadecima die mensis in solennitate faciet. sicut supra dicta sunt per septem dies tam pro peccato q̄ pro holocausto et in sacrificio et in oleo.

**C.S.** De sacrificijs sabbati et neomenie: p q̄s portas intrare debebūt et exire p̄ncipes et ppli ad orandum deum. et de spontaneo holocausto principis. quis princeps possit dare. et de distinctione coquinarum: **XLVI**

**D** Ec dicit dñs deus. Porta atrij interioris q̄ respicit ad orientem erit clausa sex diebus in quib⁹ opus fit. Die autē sabbati aperiet. Sed et in die kalendaz aperiet. et intrabit princeps p viā vestibuli porte deforis. et stabit in limine porte. Et faciet sacerdotes holocaustū eius et pacifica ei⁹: et adorabit sup limen porte: et egrediet. Porta autē nō claudet vsqz ad vesperez. Et adorabit pplis terre ad ostiū porte illius in sabbatis et in kalendis corā dño. Holocaustū aut hoc offeret p̄nceps dño in die sabbati: sex agnos immaculatos et arietē immaculatum: et sacrificiū ephi per arietes. In agnis aut sacrificiū qd dederit manus ei⁹ et olei h̄in p singula ephi. In die autē kalendarū vitulum de armento immaculatum: et sex agni et arietes immaculati erūt: et ephi per vitulū. ephi quoqz per arietē faciet sacrificiū. De agnis aut sicut inuenerit manus eius olei h̄in per singula ephi. Cūqz ingressurus est princeps p viā vestibuli porte ingrediatur: et per eandem viam creat. Et cum intrabit populus terre in p̄spectu domini in solennitatibus qui ingreditur p portam aquilonis vt ad

Exodi. xxx. d  
Leui. xxv. b

Exodi. xxx. b  
Leui. xxv. c  
Nume. ij. s

# Daniel.

ret egrediat p viam porte meridiane. Porro qui  
ingredit p viā porte meridiane: egrediat p viam  
porte aq̄lonis. Nō reuertet p viā porte p quā in-  
gressus est: s; e regiōe illi<sup>9</sup> egrediet. Princeps  
autē i medio eoz cū igredientib<sup>9</sup> ingrediet. et cū  
egredientib<sup>9</sup> egrediet. Et i nūdinis et i solēnitati-  
bus erit sacrificiū ephi p vitulū et ephi p anetes  
In agnis autē erit sacrificiū sic inuenerit manas  
ei<sup>9</sup>: et oleo bin. p singula ephi. Cū autē fecerit pri-  
nceps spōtaneū holocaustū aut pacifica volunta-  
ria dño: apiet ei portā q̄ respicit ad orientē: et fa-  
ciet holocaustū suū et pacifica sua sic fieri solet i  
die sabbati. et egrediet claudeturq; porta postq̄  
erit. Et agnū eiusdē anni immaculatū faciet ho-  
locaustū q̄ti die dño. Semp mane faciet illd et fa-  
ciet sacrificiū sup eo catamane mane: sēta partē  
ephi. et de oleo tertiā ptē bin: vt misceat sile. Sa-  
cificiū dño legitimū: iuge atq; ppetuus. Faciet  
agnū et sacrificiū et oleum catamane manē bolo-  
caustū sempiternū. Hec dicit dñs deus. Si dederit  
pnceps domū alicui d filijs suis: hereditas ei<sup>9</sup> fi-  
lioz suoz erit: possidebūt eā hereditarie. Si autē  
dederit legatū de hereditate sua vni fuoz suoz  
erit illi<sup>9</sup> vsq; ad annū remissionis et reuertet ad  
pncipē. Hereditas at ei<sup>9</sup> filijs ei<sup>9</sup> erit. Et nō acci-  
piet pnceps de hereditate ppli p violentiam. et  
de possessiōe eoz: s; de possessiōe sua hereditatē  
dabit filijs suis vt nō dispgat ppls me<sup>9</sup> vnusq;sq;  
possessione sua. Et introduxit me p ingressum q̄  
erat ex latere porte i gazophylatia sanctuarij ad  
sacerdotes: q̄ respiciebāt ad aq̄lonē: et erat ibi lo-  
cus vergens ad occidentē: et dixit ad me. Iste est  
locus vbi coquēt sacerdotes p pctō et p delicto  
vbi coquēt sacrificiū: vt nō efferat in atrium exte-  
rius et scificet ppls. Et eduxit me i atriū exteri<sup>9</sup>  
et circūduxit me p quattuor angulos atrij. Et ec-  
ce atriolū erat in angulo atrij: atriola singula p  
angulos atrij. In quattuor angulis atrij atriola  
disposita: quadraginta cubitoz p longū: et trigē-  
ta p latum. Mensure vni<sup>9</sup> q̄ttuoz erant. Et pies  
p circūitum ambiēs q̄ttuoz atriola et culine fabri-  
cate erant subter porticus p gyrum. Et dixit ad  
me. Hec est domus culinarū: in q̄ coquēt mini-  
stri domus domini victimas populi.

**C.S.** De aquis multis q̄ pcedunt de templo.  
de ḡra baptismi. de diuisiōe terre quā hereditate  
accepit isrl: et de portis ciuitatis cuius nomē est  
domus iude. **XLVII**

**E**t cōuertit me ad portas dom<sup>9</sup>: et ecce aq̄  
egrediebant subter limē dom<sup>9</sup> ad orientē.  
Facies em dom<sup>9</sup> respiciebat ad orientē.  
Aque autē descēdebāt in lat<sup>9</sup> tēpli dextrū ad me-  
ridiē altaris. Et eduxit me p viā porte aq̄lonis: et  
cōuertit me ad viā foras portā exteriorē. viam q̄  
respiciebat ad orientē. Et ecce aque redūdātes  
a latere dextro cum egredere vir ad orientē qui

habebat funiculū in manu sua: et mensus est mil-  
le cubitos: et traduxit me p aquas vsq; ad talos.  
Rursumq; mēsus est mille: et traduxit me p aquā  
vsq; ad genua. Et mēsus est mille et traduxit me  
per aquā vsq; ad renes. Et mēsus est mille tor-  
rentē quē nō potui p̄transire. qm̄ intumuerāt aq̄  
p̄fundi torrentis q̄ nō pōt transuadari. Et dixit  
ad me. Certe vidisti filij hoīs. Et eduxit me. et  
cōuertit ad ripā torrentis. Cūq; me p̄uertissem  
ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex vtra-  
q; parte. Et ait ad me. Aque iste q̄ egrediunt ad  
tumulos sabuli oriētalis: et descendūt ad plana  
deserti: intrabunt mare: et eribunt et sanabuntur  
aque. Et oīs aīa viuēs q̄ serpit quocūq; venerit  
torrens viuet. et erūt pisces multi satis postq̄ ve-  
nerunt illuc aque iste. Et sanabunt et viuēt oīa ad  
q̄ venerit torrens: et stabunt sup illa piscatores.  
Ab engadi vsq; ad engallim siccatio saganarū  
erit. Plurime species erūt pisciū ei<sup>9</sup> sicut pisces  
maris magni multitudinis numie. In litorib<sup>9</sup> autē  
ei<sup>9</sup> et i palustrib<sup>9</sup> nō sanabunt: qz in salinas dabū-  
tur. Et sup torrentes oriet in ripis ei<sup>9</sup> ex vtraq;  
parte omē lignū pomifex. Nō defluet folium ex  
eo: et nō deficiet fruct<sup>9</sup> ei<sup>9</sup>. Per singulos mēses  
afferet p̄mitiua: qz aque ei<sup>9</sup> de sc̄tuario egredien-  
tur. Et erunt fructus ei<sup>9</sup> in cibū: et folia ei<sup>9</sup> ad me-  
dicinam. Hec dicit dñs deus. Hic est termin<sup>9</sup> in  
quo possidebitis terrā in duodecim tribub<sup>9</sup> isrl:  
qz ioseph duplicē funiculū habet. Possidebitis  
autē eam singuli eque vt frater suus: sup quā le-  
uauit manus meā vt dare p̄tib<sup>9</sup> vestris. Et cadet  
terra hec vob i possessionē. Hic ē aut termin<sup>9</sup> ter-  
re ad plagā septentrionalem a mari magno via  
ethalon vementib<sup>9</sup> sedada emath herotha saba-  
rim: q̄ est inter terminū damasci et p̄finiū emath:  
domus thicon q̄ est iuxta terminum aurā. et erit  
terminus a mari vsq; ad atriū enō terminus da-  
masci. ab aq̄lone ad aq̄lonē termin<sup>9</sup> emath: pla-  
ga septētrionalis. Porro plaga oriētalis de me-  
dio auran de medio damasci et de medio galaad  
et de medio terre isrl: iordanis determinans ad  
mare oriētale metiemini plagā orientalem. Pla-  
ga autem australis meridiana a thamar vsq; ad  
aquas p̄traditiōis cades et torrens vsq; ad ma-  
re magnū. Et hec est plaga ad meridiē australis.  
Et plaga maris. mare magnū ac p̄finio per dire-  
ctum donec venias emath: hec est plaga maris.  
Et diuidetis terrā istā vob p trib<sup>9</sup> isrl: et mittetis  
eā in hereditatē vobis et aduenis q̄ accesserit ad  
vos: qui genuerint filios in medio vestrum. et  
erunt vobis sicut indigene inter filios isrl. Vos  
biscuz diuidēt possessionē in medio tribuuz isrl.  
In tribu autē quacūq; fuerit aduena: ibi dabi-  
tis possessionem illi: ait dñs deus.

**C.S.** Hic describit diuisio terre q̄tum ad in-  
trancos. **La. XLVIII**

# Prologus

**A** **E**t hec noīa tribuū a finib<sup>9</sup> aq̄lonis iuxta viā ethalon pgentib<sup>9</sup> emath atriu<sup>9</sup> enon terminus damasci ab aq̄lone iuxta vias emath: et erit ei plaga orientalis mare: dan vna. Et a termino dan a plaga oriētali vsq̄ ad plagā maris aser vna. Et sup terminū aser. a plaga oriētali vsq̄ ad plagā maris: neptaliz vna. Et sup terminū neptalim a plaga oriētali vsq̄ ad plagā maris manasse vna. Et sup terminuz manasse: a plaga oriētali vsq̄ ad plagā maris effraim vna. Et sup terminū effraim a plaga oriētali vsq̄ ad plagā maris ruben vna. Et sup terminū ruben a plaga oriētali vsq̄ ad plagā maris. iuda vna. Et sup terminū iuda. a plaga oriētali vsq̄ ad plagā maris. erūt p̄mitie q̄s sepabitis viginti q̄q̄ milibus calamis latitudinis et longitudinis: sicuti singule ptes a plaga oriētali vsq̄ ad plagā maris. Et erit sc̄tūariuz in medio ei<sup>9</sup>. P̄mitie q̄s sepabitis dño. lōgitudō viginti q̄q̄ milib<sup>9</sup>. et latitudo decē milibus. De aut erūt p̄mitie sc̄tūarij sacerdotū ad aq̄lonē lōgitudinis viginti q̄q̄ milia. et a mare latitudinis decē milia. S; ad oriētē latitudinis decē milia: et ad meridiē viginti q̄q̄ milia. Et erit sc̄tūariuz dñi in medio ei<sup>9</sup>. Sacerdotibus sc̄tūariū erit de filijs sadoch. q̄ custodierit ceremonias meas. et nō errauerunt cū errarēt: filij isrl. sic errauerūt et leuite. Et erūt p̄mitie de p̄mitiuis tre sc̄tūariuz. iux terminū leuitay. Sed et leuitis filij iuxta fines sacerdotū viginti q̄q̄ milia lōgitudinis: et latitudinis decē milia. Dis lōgitudō viginti et q̄q̄ milia. et latitudo decē milia. Et nō venūdabūt ex eo neq̄ mutabūt. neq̄ trāsferent p̄mitie terre. qz sc̄tificate sunt dño. Quicq̄ milia aut q̄ sup sunt i latitudie p̄ viginti q̄q̄ milia. p̄phana erūt vrb̄ in hitaculū et in suburbana. Et erit ciuitas in medio ei<sup>9</sup>. et de measure ei<sup>9</sup>. Ad plagā septētrionalē q̄ngēta et q̄ttuoz milia: et ad plagā meridianā q̄ngēta et q̄ttuoz milia: et ad plagā oriētālē q̄ngēta et q̄ttuoz milia. et ad plagam occidentalē q̄ngēta et q̄ttuoz milia. Erūt aut suburbana ciuitatis ad aq̄lonē ducēta q̄nq̄ginta: et ad meridiē ducēta q̄nq̄ginta. et ad orientem ducēta q̄nq̄ginta. et ad mare ducēta q̄nq̄ginta. Qd̄ aut reliquū fuerit i lōgitudie fm̄ p̄mitias sc̄tūarij decē milia in orientē: et decē milia in occidentē erūt sicut p̄mitie sc̄tūarij: et erūt fruges ei<sup>9</sup> in panes his q̄ fuerūt ciuitati. Seruientes antez ciuitati opabunt ex oib<sup>9</sup> tribub<sup>9</sup> isrl. Dēs p̄mitie viginti q̄q̄ milia p̄ viginti q̄q̄ milia in quadrū separabunt in p̄mitias sanctuarij et in possessionē ciuitatis. Qd̄ aut reliquū fuerit p̄ncipis erit ex oi pte p̄mitiaz sc̄tūarij et possessionis ciuitatis et regiōe viginti q̄q̄ milia p̄mitiaz vsq̄ ad terminū oriētālē: s; et a mari et regiōe viginti q̄q̄ milia vsq̄ ad terminū maris: isrl̄ i p̄tib<sup>9</sup> p̄ncipis erit. Et erunt p̄mitie sanctuarij et sc̄tūariuz repli

in medio ei<sup>9</sup>. De possessiōe aut leuitay et de possessione ciuitatis i medio p̄tiū p̄ncipis. erit i terminū iuda et in terminū beniamin: et ad p̄ncipes p̄tinebit. Et reliquis tribub<sup>9</sup> erūt tales portiōes a plaga oriētali vsq̄ ad plagā occidentalē. beniamin vna. Et cōtra terminū beniamin a plaga oriētali vsq̄ ad plagā occidentales: symeon vna. Et sup terminū symeonis a plaga oriētali vsq̄ ad plagā occidentalē: ysachar vna. Et sup terminū ysachar a plaga oriētali vsq̄ ad plagam occidentalem. zabulon vna. Et sup terminuz zabulon a plaga oriētali vsq̄ ad plagam maris. gad vna. Et sup terminū gad ad plagā austri in meridiē. Et erit finis de thamar vsq̄ ad aquas p̄tradictiōis cades: hereditas cōtra mare magnum. Hec est terra quā mittetis in sorte tribubus isrl: et he p̄titiōes eay: ait dñs de<sup>9</sup>. Et hi gressus ciuitatis. A plaga septētrionali quingentos et q̄ttuoz milia mensurabis: et porte ciuitatis oibus tribubus israel. Porte tres a septētrione. Porta ruben vna. porta iuda vna. porta leui vna. Et ad plagam oriētalem quingentos et quattuoz milia. Et porte tres. Porta ioseph vna. porta beniamin vna. porta dan vna. Et ad plagam meridianā quingentos et quattuoz milia metieris. Et porte tres. Porta symeonis vna. porta ysachar vna. porta zabulon vna. Et ad plagam occidentales quingentos et quattuoz milia. Et porte tres. Porta gad vna. porta aser vna. porta neptalim vna. Per circūitum decem et octo milia. Et nomen ciuitatis ex illa die dominus ibidem. Amen.

Explicit ezechiel p̄pheta.

Incipit prologus sancti Hieronymi in Daniele prophetam

**D**anielem p̄pheta iuxta septuaginta interpretes dñi saluatoris ecclesie nō legunt vtentes theodotiōis editione et hoc cur acciderit nescio. Siue enim qz sermo chaldaicus est et quibusdā p̄prietatibus a nostro eloquio discrepat: noluerūt septuaginta interpretes easdez lingue lineas in translatione seruare siue sub noīe eoz ab alio nescio q̄ nō satis chaldeam linguam sciente editus est liber: siue aliud quid cause extiterit ignorās. hoc vnū affirmare possum. q̄ multum a veritate discordet et recto iudicio repudiatus sit. Sciendū quippe danielē maxime et esdrā hebraicis quidē litteris: sed chaldeo fm̄one cōscriptos: et vnā hieremie pericopen. iob quoq̄ cum arabica lingua plurimā habere societate: Deniq̄ et ego adolescentulus post quintiliani et tullij lectionē ac flores rethoricos: cū me in lingue huius pistrinum reclusissem: et multo sudore multoq̄ tpe vir cepissem anhelantia stridentiaq̄ verba resonare. et quasi per cryptam ambulans raruz desuper lus

# Daniel

men aspicerē impegi nouissime in danielē: et tan-  
 to tedio affectus sum vt desperatiōe subita oēm  
 laborē veterē voluerim p̄tere. Verū adhortā-  
 te me quodā hebreo et illud mihi crebrū sua lin-  
 gua ingerente. labor improb' oia vincit q̄ mihi  
 videbar sciolus inter eos cepi rursus discipulus  
 esse chaldaicus: et vt verū fatear vsq; ad p̄ntem  
 diē magis possum p̄monē chaldaicū legere et in-  
 telligere q̄ sonare. Nec idcirco refero: vt difficul-  
 tatē vob' danielis oñderes: q̄ apud hebreos nec  
 susanne h' hystoriā. nec hymnū triū pueroꝝ nec  
 belis draconisq; fabulas q̄s nos: q; i toto orbe  
 disperse sunt. vero anteposito easq; iugulāte sub-  
 icimus: ne videremur apud imperitos magnā  
 ptem volumis detrūcasse. Audiuī ego quendam  
 de preceptorib' iudeoꝝ cū susanne derideret hys-  
 toriā. et a greco nescio q̄ eā diceret esse p̄fictā. il-  
 lud opponere qd̄ origeni q̄s african' opposuit:  
 etymologias has apothoy chynoy chyse. et a  
 potboy prynoi pryse de greco sermone descende-  
 re. Cui' rei nos intelligentiā nostris hāc possu-  
 mus dare. vt verbi gr̄a. dicam' cōtinuo de arbo-  
 re ilice dixisse eū ilico peas: et a lentisco in lentes  
 te cōminuat angelus. vel nō lente peas: aut lēt':  
 id est flexibilis ducarīs ad mortē. siue aliud qd̄  
 ad arboris nomē pueniēs. Deinde tm̄ fuisse ocij  
 tribus pueris cauillabā: vt in camino estuātis  
 incendiū metro luderēt: et p̄ ordinē ad laudes dei  
 oia elemēta puocarent: aut qd̄ miraculū diuine  
 q̄ aspiratiōis iudiciū: vel draconē interfectū of-  
 fa picis vel sacerdotū belis machinas deprehen-  
 sas q̄ magis prudētia solertis viri q̄ p̄phetali ef-  
 sent spū perpetrata. Cū vō abachuc veniret: et  
 de iudea in chaldeā raptū discoꝝ lectitaret: q̄s  
 rebat exēplū vbi legissemus in toto veteri testa-  
 mento quēq; scōꝝ graui volasse corpe: et in pun-  
 cto hore tanta terraz spacia transisse. Cui cū qui-  
 dam e n̄ris satis ad loquendū promptulus eze-  
 chielē adduxisset in mediū: et diceret eū de chal-  
 dea in iudeā fuisse trāslatū. derisit hoīem ex ipso  
 volumie demonstrauit ezechieles in spū se vidisse  
 transpositū. Deniq; et aplm̄ n̄m videlicet vt eru-  
 ditū virū et q̄ legē ab hebreis didicisset nō fuisse  
 ausum affirmare se raptū in corpore. sed dixisse:  
 siue in corpe siue extra corpus: nescio: deus scit.  
 His et talib' argumētis apocryphas in libro ec-  
 clesie fabulas arguebat. sup̄ quare lectoris arbi-  
 trio iudiciū relinquēs illd̄ ammonēo nō haberi  
 danielē apud hebreos inter prophetas: s; inter  
 eos q̄ agiographa p̄scripserunt. In tres siquidē  
 partes ois ab eis scriptura diuidit. in legē. in p̄-  
 phetas. et in agiographa. id est in quinq; et octo et  
 in vndecim libros. de q̄ nō est hui' t̄pis differere  
 Que aut̄ ex h' p̄pha: imo p̄ hūc libꝝ porphyrius  
 obijciat. testes sunt methodi' eusebi' et appollo-  
 nius. q̄ multis versuū milib' ei' vesanie r̄nden:

tes: nescio an curioso lectori satisfecerint. Unde  
 obsecro vos o paula et eustochiū fundatis p̄ me  
 ad dñm p̄ces: vt q̄ diu in h' corpusculo suꝝ scribā  
 aliqd̄ gratū vob' vtile ecclie: dignū poster'. Pre-  
 sentiū q̄ppe iudicijs oblatratiū nō satis moueoꝝ  
 q̄ invtr̄ i q; pte' aut amore labunt: aut odio.

**E**xPLICIT plogus. Incipit daniel p̄pheta.  
 C. S. De filiis captiuis quos elegit nabucho  
 donosor: et docet eos litteras chaldeoꝝ. de ab-  
 stinentia. Ca. I

**A**nno tertio re-  
 gni ioachis regi iuda venit  
 nabuchodonosor rex baby-  
 lonis hierlm̄ et obsedit eā et  
 tradidit dñs in manu eius  
 ioachim regē iude: et partē  
 vasoꝝ dom' dei: et asporta-  
 uit ea in terrā sennaar i do-  
 mū dei sui: et vasa intulit i domū thesauri dei sui.  
 Et ait rex affenē p̄posito eunuchoꝝ: vt introdu-  
 ceret de filiis isrl' et de semie regio. et tyrānoꝝ  
 pueros in q̄bus nulla esset macula: decoros for-  
 ma et eruditos oī sapia. cautos scia et doctos di-  
 sciplina: et q̄ possent stare in palatio regis. vt do-  
 ceret eos lras et linguā chaldeoꝝ. Et cōstituit eis  
 rex annonā p̄ singulos dies de cibus suis et vino  
 vnde bibebat ipse et enutriti trib' annis postea  
 starēt i p̄spectu regis. Fuerūt ergo inter eos de  
 filiis iude. daniel. ananias. misael et azarias. Et  
 iposuit eis p̄posit' eunuchoꝝ noīa: danieli bal-  
 thasar. ananie. sidrac. misaeli. misac et azarie. ab-  
 denago. Proposuit autē daniel in corde suo ne  
 pollueret de mēsa regis. neq; de vino potus ei'  
 et rogauit eunuchoꝝ p̄positū ne p̄tamniaret. De-  
 dit aut̄ de' danieli gr̄am et miscōiaz in cōspectu  
 p̄ncipis eunuchoꝝ. Et ait p̄nceps eunuchoꝝ  
 ad danielē. Timeo ego dñm meū regē q̄ p̄stituit  
 vobis cibū et potū. qui si viderit vult' v̄os ma-  
 silentiores p̄ ceteris adolescētib' coeuis vestris  
 p̄denabitis caput meuz regi. Et dixit daniel ad  
 malassar quē p̄stituerat p̄nceps eunuchoꝝ sup̄  
 danielē ananiā misaelē et azariam. Tempta nos  
 obsecro seruos tuos dieb' decē: et denē nobis le-  
 gumina ad vescēdū et aqua ad bibendū: et cōtem-  
 plare vultus n̄ros et vult' pueroꝝ q̄ vescuntur  
 cibo regio. et sicut videris: facies cū seruis tuis.  
 Qui audito p̄mone huiuscemodi: tēptauit eos  
 dieb' decē. Post dies aut̄ decē apparuerūt vul-  
 tus coꝝ meliores et corpulentiores p̄ oibus pue-  
 ris q̄ vescabant cibo regio. Porro malassar tol-  
 lebat cibaria et vinū potus eozū: dabatq; eis le-  
 gumina. Pueris aut̄ his dedit deus scientiaz et  
 disciplinā in oī libro et sapia. danieli aut̄ intelli-  
 gentiā oīuz visionū et somnioꝝ. Cōpletis itaq;

A  
iiij. re. xiiij. b

B

C

D